

I.

Incipit libellus appellationis Flaviani episcopi Constantinopolitani ad papam Leonem.

Religiosissimo et beatissimo patri et archiepiscopo Leoni Flavianus in domino salutem.

Oportuit quidem ad praesens tempus me dignanter referre ⁵ et uti apostolica appellatione ad vestram sanctitatem, ut progrediens ad Orientem auxilium ferret periclitanti piae sanctorum patrum fidei, quam sudore ultionis tradiderunt. ecce enim confusa sunt omnia: solutae sunt ecclesiasticae ordinationes, perierunt ea quae sunt fidei, dissensione retinentur piae ani- ¹⁰ mae. iam non patrum nominatur fides, sed contigit ab Alexandrinae ecclesiae episcopo Dioscoro eorum, qui haec sapiunt una cum ipso, Eutychinam iam praedicari et nominari fidem. hanc enim firmavit sententia propria et eorum qui per violentiam coacti sunt consentire episcoporum. et ea quidem singula nunc ¹⁵ est concessum nobis referre ad vestram beatitudinem: breviter autem quae subsecuta sunt docebimus.

Adprehendissem quidem Ephesiensem civitatem secundum pium imperiale rescriptum, quod ad universos aequaliter emanavit. occurrerunt nihilominus et qui a vestra sanctitate ²⁰ destinati sunt deo amantissimus episcopus Iulius et religiosissimus filius noster Hilarus diaconus et carissimus filius noster Dulcitius notarius. consumpsimus in Ephesorum civitate dies decem. habuimus universos paene qui convenerunt episcopos consentientes in omnibus nobis praeter Alexandrinum ²⁵ et qui cum ipso affuerunt. qui ex quo die ordinatus sum episcopus inplacabiles adversum me inimicitias vehementer exercet nulla existente causa: qui numquam me suis litteris dignum iudicavit neque eam quae secundum dominum nostrum caritas praedicatur erga me habuit, me ei in omnibus obtemperante nunc usque ad ³⁰ hanc diem. qui nobis repente secunda feria, hoc est VIII. id. Aug., non ex communi consensu vel tractatu praecedente, convocat quidem concilium diluculo: ammoneri quoque me facit. deinde cum sedissemus in ecclesia, legi quidem pium rescriptum praecepit religiosissimorum imperatorum. universis autem ³⁵ episcopis interfatis post lectionem prius de pia fide haberi debere tractatum proponique et legi trecentorum decem et octo fidem et ea quae aput Ephesum iam dudum habita est, ipse memoratus venerabilis episcopus Dioscorus hoc quidem fieri prohibuit: praeci- piens autem mihi et his qui una mecum iudicaverunt ⁴⁰ episcopis et meis pariter clericis nihil penitus audire permitti,

1 const. 5 oportuit] oportunae — me dignanter] mediocriter; *Aenderung unsicher*. 7 horientem — ferre. 11 contigit] consulta. 12 eorum] et eorum. 15 episcoporum] *epi*. 23 *man erwartet* Ephesinorum. 26 quo] *Amelli*: co. 29 eam] ea. 30 nunc usque] *vielleicht* hucusque. 31 nobis, *wenn richtig, mit repente zu verbinden*. 33 ammoneri] oder acciri: ammaiori. 35 praecepit die *Handschrift*, aber t *getilgt*. 36 prius] portereprius.